

ingeniorum; quorum ductum sequemur & nos, &
quid nobis de tanta pestis violentia videatur, quantum
vires ingenii concedent, in dissertatione hâc inaugu-
rali proponemus. Conatus hic Tibi, ô Misericors
Deus! cedat in honoris tui perennitatem, & proximo
nostro languenti in certissimam salutem!

§. I. Non immorabimur hic in ἐπομῷ: sive à pascendo, quod
integras civitates aut regiones depascat; sive à perimendo,
quod quasi jaculo derepentè tactos homines perire fa-
ciat; sive ἀπὸ τοῦ πίστην, à cadendo, quod cadant in peste
homines, qui deducere velit vocabulum pestis, non re-
fragabimur. Sufficiat simul brevibus delineata ἡμερησία.
Metaphoricè homo perditus dicitur pestis, qui suo improbo
vitæ genere alios corrumpere & perdere potest. Lata in
significatione complectitur omnem morbum malignum,
contagiosum, epidemium, febrem item pestilentem. Stri-
xè verò & καὶ ἐξοχῶ morbum illum maximè venenatum,
omnium pernicioſissimum, qui actiones vitales subito in-
vadit, αἴθριός lædit, & totam corporis nostri œconomiam
unō quasi ictu invertit & supprimit. Συωτρησία expri-
munt vocabula hæc: pestilentia, lues pestifera, venenum
pestilens &c. Absolute etiam dicitur morbus; vel quod o-
mnium morborum sit periculosissimus; vel quod omnes
morbos quasi in suo comprehendat sinu; vel quod gras-
fante peste omnes alii morbi vel cessent, vel in eandem
transformentur. Λοιμὸς Græcis audit & λοιμή, item
νόσος λοιμή vel λοιμώδης. Germanis die Peste/ Pestis-
lens/ die Seuche / & vulgariter dicitur das Ster-
ben.

§. II. Pestis est morbus malignus & contagiosus, actiones